

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Türkische Texte mit französischer Übersetzung - Cod. St. Märgen 1

[Straßburg?], [um 1720]

Caput tertium

[urn:nbn:de:bsz:31-161021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-161021)

id quod, quodcunque, ea quæ, quæcunque, illud *de personis*, hoc *de rebus dicitur*, & utrumque non raro interrogat, من *men*, quis? ما *mā*, quid?

اى *ejjün*, quis, qui, quisquis, quicunque, qualis, qualiscunque, interrogativè & conditionaliter usurpatur, & declinatur regulariter in Singulari juxta primam declinationem, اى *ejjün*, quis, qui, اى *ejjin*, cujus, ايا *ejjen*, quem, quemcunque, &c. *Fæm. sedrarum*, اية *ejjetün*, quæ, اية *ejjetin*, cujus, اية *ejjeten*, quam, qualem, &c. Regit autem alterum Substantivum in Genitivo, ut اى كتاب *ejjü kitābin*, qualis liber? من اى كتاب *min ejjü kitābin*, ex quo vel quali libro? Affigitur etiam ipsi particula ما *mā*, quid, quæ, aliquid, & dicitur ايا *ejjümā*, quisquis, quidquid, quodlibet, ايا *ejjimā*, cujuslibet, cuilibet, quolibet, ايا *ejjemā*, quemlibet, quodlibet, ut & cum من *men*, اين *ejjümen*, quicunque, اين *ejjimen*, cujuscunque, &c. اين *ejjemen*, quemcunque. Admittit præterea interdum Affixâ Dualia & Pluralia, ut in Turcicis قنعي *kanghy*, ut ايا *ejjühümā*, uter eorum, ultra earum, ايا *ejjühüm*, ecquis ipsorum? il quale di loro? ايا *ejjühünne*, quæ ipsarum? la quale di loro?

Cetera facilia & in Lexico reperibilia.

Persica Pronomina relativa ferè omnia redduntur per كى *ki* indeclinabile, dum significat *qui, quæ, quod*; sed est quodammodo declinabile, cum significat tanquam Interrogativum, quis? ut كى آمد *ki āmed*, quis venit? كىست *kist*, pro كى است *ki est*, quis est? كى دادى *ki dādī*, cui dedisti? Casus autem Relativi كى *ki* suppletur eodem modo, quo in Turcicis & Arabicis modo dictum est. Sic آن است که دی اورا دیدی *ān est ki di orā didi*, ille est, quem heri vidisti. Omittitur tamen interdum illa Pronominis repetitio, ubi absque hoc intelligi potest, ut اين مرد که بينى *in merd ki binī*, hic vir, quem vides.

چه *ci* neutraliter interrogat, ut Turcicum نه *ne*, & quodammodo declinari potest. كى *kūdām* autem respondet Turcico قنعي *kanghy*, quis, qui, qualis, quodnam, quale. انك *anki*, qui, seu ille qui, pro Arabico من *men*, ut Itali & Galli dicunt, quello che, celuy que, licet in eodem sensu dicant interdum *chi*, qui. In Pl. انك *ānānki*, illi qui, انك *ānci*, id quod, pro Arabico ما *mā*.

His autem præfixo هر *her*, fiunt quasi universalia respondentia nostris in *cunque*, ut هرکى *herki*, & هر انك *her ānki*, quicunque, هر چه *her ci*, & هر آنچه *her ān ci*, quodcunque, quidquid. هر كى *her kūdām*, respondet Turcico هر قنعي *her kanghy*, quicunque, & هر يكى *her ieki*, vel *iegī*, unusquisque, همه *heme*, omnis, totus, &c.

CAPUT TERTIUM

De Pronominibus Possessivis.

Possessiva Pronomina separata apud Turcas sunt بنم *benüm*, meus, سنك *senün-*, tuus, انك *anün-*, suus, aut potius ejus. Pl. بزم *bizüm*, noster, سزك *sizün-*, vester, انلرك *anlarün-*, eorum. Quæ nihil aliud sunt, quàm Genitivi primitivorum personalium, ideoque præponuntur Substantivis, & per Adjectiva reddi possunt *meus, mea, meum*, meiner / meine / meines / mio, mia, mon, ma. Si autem absolute sint ponenda absque Substantivo, tunc solet addi كى *ki*, de quo supra fuit mentio, & dici بنمكى *benümki*, meus, der meine / il mio, le mien. سنكى *senün-ki*, tuus, der deine / il tuo, le tien. انكى *anün-ki*, ejus, suus, der seine / il suo, le sien. بزمكى *bizümki*, noster, der unsere / il nostro, le nostre, سزكى *sizünki*, vester, der eure / il vostro, le vostre. انلركى *anlarün-ki*, eorum, suus, der ihre, il loro, le leur. Et hæc declinantur ut nomina secundæ declinationis, ut بنمكى *benümki*, meus, der meine / بنمكىنك *benümki-nün-*, mei, desß meinen / بنمكىه *benümkije*, meo, dem meinen / بنمكىه *benümkiie*, meum den meinen / بنمكىدن *benümkidēn*, à meo, von dem meinen / بنمكىلر *benümkiler*, mei, die meine / بنمكىلرك *benümkilerün-*, meorum, der meine / &c. Si autem suus referatur ad verbum ejusdem personæ tunc dicitur گندونكى *gendünün-ki*, suus, der seine eigene.

Sunt

Sunt autem alia Pronomina possessiva Affixa, quæ nomini cuiusvis adjiciuntur inseparabiliter. Circa quod sciendum imprimis, non nisi à plebe adhiberi Possessiva illa superiora cum suo Substantivo immutato, & dici, *benüm baba*, pater meus, *senün-ana*, mater tua, *anün dede* ejus avus; modus enim hîc loquendi est nimis vulgaris, & cenferur omnino erroneus. Exigitur ergo præterea adjectio Affixorum, quæ sunt hæc: Pro prima persona *m*, pro secunda *k*, pro tertia *y* vel *si* in Singulari numero. In Plurali autem pro prima *müz*, pro secunda, *küz*, pro tertia *y* vel *si* *erleri*. *m* in nominibus vocali nostrâ terminatis valet tantum nostrum *m*, ut à *baba* *babam*, pater meus, mein Vater; in nominibus autem consonante terminatis valet *üm*, unde etiam, uti orthographia Turcica est undequaque liberrima, scribunt nonnulli *üm*, ut a *kitab* *kitabüm*, liber, *benüm kitabüm*, vel, ut nonnulli *kitabüm*, liber meus, mein Buch. Sic *k* post vocalem valet tantum *n*, ut ab eodem: *senün-baban-*, pater tuus, dein Vater; post consonantem *ün*, *senün-kitabün-*, liber tuus, dein Buch (quod & *kitabok* scribunt, ac nonnulli etiam *kitabik* q. *kitabın-*) *si* post vocalem, ut *anün-babasi*, pater ejus, sein Vater; post consonantem *y* tantum, *anün-kitabi*, ejus liber, sein Buch. Plur. *müz* post vocalem, *bizüm babamüz*, pater noster, unser Vater; post consonantem *ümüz*, *bizüm kitabümüz*, liber noster, unser Buch (scribitur & *kitabımız* ac *kitabımız*) *n-üz* post vocalem, *sizün-baban-üz*, pater vester, ewer Vater; post consonantem *ün-üz* *sizün-kitabün-üz*, vester liber, ewer Buch (scribunt nonnulli *kitabınız* & alii *kitabın-üz*) *si* & *si*, ut in Singulari, *anlerün-babasi*, eorum pater, ihr Vater; quod & optimè ac usitatissimè dicitur *babaleri*, eorum pater; etsi hoc posset etiam significare *patres ejus*, quod ex seniu facile percipitur. Sic ab *er*, vir, maritus, fit *benüm-erüm*, maritus meus, mein Mann; à *kery*, mulier, uxor, *benüm kerym*, uxor mea, mein Weib / & *senün-erün-*, tuus maritus, dein Mann / *senün-keryn*, uxor tua, dein Weib / *anün-eri*, ejus maritus, ihr Mann / *anün-kerysi*, ejus uxor, sein Weib / *bizüm erümüz*, noster vir, vel maritus, unser Mann; *bizüm karymüz*, nostra mulier, vel uxor, unser Weib; *sizün-erün-üz*, vester vir, ewer Mann / *sizün-karyn-üz*, vestra uxor, ewer Weib / *anlarün-eri*, earum maritus, ihr Mann / *anlarün-karysi*, eorum uxor, ihr Weib.

Quod autem modò dixi in plurali affigi *müz*, *n-üz*, &c. intellige de plurali possessoris, seu tunc quando sunt plures possessores, secus cum nomen rei possessæ est in plurali, tunc enim ipsum Plurale possessi affigit sibi seu suo *ler* illas particulas possessivas eodem modo quo suprâ, v. g. *benüm babalerüm*, mei patres, meine Väter. *benüm kitablerüm*, mei libri, meine Bücher. *erlerüm*, mei viri, meine Männer. *karylerüm*, meæ mulieres, meine Weiber. Sic *senün-babalerün-*, tui patres, *senün-kitablerün-*, tui libri, *erlerün-*, tui viri, *karylerün-*, tuæ mulieres; *anün-babaleri*, patres ejus, *anün-kitableri*, libri ejus, *anün-erleri*, viri ejus, *anün-karyleri*, mulieres aut uxores ejus, *bizüm babalerümüz*, nostri patres, *bizüm kitablerümüz*, libri nostri, *erlerümüz*, viri nostri, *karylerümüz*, uxores nostræ, *sizün-babalerün-üz*, patres vestri, *sizün-kitablerün-üz*, libri vestri, *erlerün-üz*, mariti vestri, *karylerün-üz* uxores vestræ, *anlarün-babaleri*, patres eorum, *anlarün-kitableri*, libri eorum, *anlarün-erleri*, mariti earum, *anlarün-karyleri*, uxores eorum.

Ubi observandum hæc affixa sufficere absque pronomibus ipsis *benüm*, *senün-*, &c. ad exprimendam illorum integram significationem, nam *babam* per se significat *pater meus*, *baban-*, pater tuus, *babasi*, pater ejus & suus; *babamüz*, pater noster, *baban-üz*, pater vester, *babaleri*, pater eorum, & ejus, & suus, sic *kitabüm*, liber meus, *erüm*, vir meus, *karym*, uxor mea, &c.

Scien-

Sciendum præterea, quòd illud affixum tertiæ personæ *ی* *ī* vel *سی* *sī*, quando præcedit genitivus substantivi alicujus, qui genitivus, ut infra doceretur, Germanorum & Hungarorum more semper præponi alteri substantivo debet, perpetuò affigitur substantivo regenti illud alterum in genitivo, & hoc in Turcicis quidem, non item in Arabicis aut Persicis, ut in syntaxi fusiùs declarabitur, v. g. *اغانك اتی* *aghanün-ati*, Domini equus: *داودك باباسی* *dāwudün-babasi*, Davidis pater, non *اتی اغانك* *ati aghanün-vel داودك باباسی* *babasi dawūdün-*, Immò verò, ut adhuc in declinationibus nominum innui, quando ille genitivus non est determinatus, aut id aliunde non omnino requirit sensus, potest etiam omitti terminatio genitivi præcedentis, ut *اغانی* *agha aty*, Domini equus, quod Gallus ferè diceret, *Vn cheval de seigneur*, & in superiore exemplo diceret, *le cheval du seigneur*, sic dicimus *نجه ولایتی* *nemçe wilajeti*, Regio, aut Provincia Germaniæ, *il paese di Germania*, *le pays d'Allemagne*, illud enim affixum ex se fatis indicare videtur in genitivo esse substantivum præcedens.

Hæc autem omnia cum suis affixis declinantur, & quidem primæ & secundæ personæ regulariter; tertiæ autem personæ accidit nonnihil anomalæ. Quare sint:

Exempla declinationis hujusmodi nominum possessivorum seu affixo pronomine affectorum.

Sing.	à بابا <i>baba</i> , pater.	ab اوغل <i>oghul</i> , filius.
Nom.	بنم بابام <i>benüm babam</i> , pater meus	اوغلم <i>oghlum</i> , filius meus
Gen.	بنم بابامك <i>benüm babamün-</i> , patris mei	اوغلك <i>oghlumün-</i> , filii mei
Dat.	بنم بابامه <i>benüm babame</i> , patri meo	اوغله <i>oghleme</i> , filio meo
Acc.	بنم بابامی <i>benüm babami</i> , patrem meum	اوغلومی <i>oghлуми</i> , filium meum
Abl.	بنم بابامدن <i>benüm babamden</i> , à patre meo	اوغلومدن <i>oghлумден</i> , à filio meo
Plur.		
Nom.	بابالرم <i>babalerüm</i> , patres mei	اوغللرم <i>oghullerüm</i> , filii mei
Gen.	بابالرمك <i>babalerümün-</i> , patrum meorum	اوغللرمك <i>oghullerümün-</i> , filiorum meorum
Dat.	بابالرمه <i>babalerüme</i> , patribus meis	اوغللرمه <i>oghullerüme</i> , filiis meis
Acc.	بابالرمی <i>babalerümi</i> , patres meos	اوغللرمی <i>oghullerümi</i> , filios meos
Abl.	بابالرمدن <i>babalerümden</i> , à patribus meis	اوغللرمدن <i>oghullerümden</i> , à filiis meis

Sic declinantur regulariter possessiva secundæ personæ utriusque numeri, & primæ pluralis, *سنگ باباك* *senün baban-*, pater tuus, *اوغلك* *oghün*, filius tuus, *باباكك* *baban-ün-*, patris tui, *اوغلكك* *oghün-un-*, filii tui, *باباكه* *baban-e*, patri tuo, *اوغلكه* *oghün-e*, filio tuo, &c. & in Plur. *بابالرك* *babalerün-*, patres tui, *اوغللك* *oghullerün-*, filii tui, *بابالركك* *babalerün-ün*, patrum tuorum, *اوغللكك* *oghullerün-ün*, filiorum tuorum, &c.

Tertiæ autem personæ possessiva sic declinantur

Nom.	باباسی <i>babasi</i> , pater ejus, vel suus	اوغلی <i>oghly</i> , filius ejus, vel suus
Gen.	باباسینك <i>babasiün-</i> , patris ejus, vel suus	اوغلینك <i>oghlyün-</i> , filii ejus
Dat.	باباسینه <i>babasi-ne</i> , patri ejus, vel suo (sui)	اوغلینه <i>oghly-ne</i> , filio ejus
Acc.	باباسینی <i>babasi-ni</i> , vel <i>باباسین</i> <i>babasi-n</i> , (patrem ejus, vel suum)	اوغلینی <i>oghly-ni</i> , vel <i>اوغلین</i> <i>oghly-n</i> , (filium ejus)
Abl.	باباسندن <i>babasi-nden</i> , à patre ejus vel suo	اوغلیندن <i>oghly-nden</i> , à filio ejus, vel suo
Plur.		
Nom.	بابالری <i>babalery</i> , patres ejus, & pater eorum	اوغللری <i>oghullery</i> , filii sui, ejus, eorum
Gen.	بابالرینگ <i>babalerynün-</i> , patrum eorum	اوغللرینگ <i>oghullerynün-</i> , filiorum ejus
Dat.	بابالرینه <i>babalery-ne</i> , patribus ejus, eorum	اوغللرینه <i>oghullery-ne</i> , filiis suis, ejus
Acc.	بابالرینی <i>babalery-ni</i> , patres suos, ejus, eorum	اوغللرینی <i>oghullery-ni</i> , filios suos, ejus
Abl.	بابالریندن <i>babalery-nden</i> , à patrib. suis, eorum	اوغللریندن <i>oghullery-nden</i> , à filiis suis, eorum

Ideo autem legitur in Plurali *oghullar*, filii mei, & in themate *اوغل* *oghul* filius, quia, ut superius dixi nunquam in fine habent syllabam binis consonantibus durioribus terminatam. Dicunt autem *اوغلم* *oghüm*, filius meus, quia prima syllaba terminatur *تو* *ghajm*, & secunda incipit à *ل* *lam*, *اوغ* *ogh*, *لم* *lüm*, *اوغلم* *oghüm*, filius meus, & sic in aliis.

H

Scri-

Scribunt tamen multi etiam in themate اوغول oghul, و اوغوللرم oghullarüm, filii mei; nullus enim est rigor orthographiæ Turcicæ.

Ubi nota illud ن nun interferi, uti ante دن den ablativi, ita ante alias postpositiones, ده de, in ده, ge, in, penès, juxta, لين lein, & جلين gilein, ut قنده kytynde, & کاتنده katynde, penès ipsum, ياننده ianinde, & يانينجه ianinge, Idem, penès ipsum, q. à latere ipsius, عادتنيجه adetinge, juxta ipsius consuetudinem, ياردمنسىز iardüminsiyz, absque auxilio ejus. Tef. Atque idem intellige de Demonstrativis بو bu, اول ol, و c. ut انده ande, in illo, و ibi, بونجولين bungilein, hujus instar, hujusmodi, و sic, ita, بونسز bunsiyz, absque hoc.

Quòd si velis exprimere suos ipsius, sufficit præponere گندو gendü, ut اول اچديي اول اچديي ol akciyi gendü kifefinden cikarmistür, illam pecuniam ex suo ipsius, velex proprio marsupio exprompsit. Sic گندو عقليده بولدي gendü ekly ile buldy, proprio suo intellectu, sive ingenio id consecutus est, comperit.

Duo nomina inveniuntur, quæ præter regularem formam habent etiam aliquando, in vulgari præsertim sermone, alteram, suntque آدم adem, homo, آدمي ademî, & آدميسى ademisi, ejus homo, بر bir, unus, بري biri, & بريسى birisi, unus eorum.

Nota denique, quando adest expressus numerus aliquis, non servari ordinem & regulas antè datas. Dicimus enim بر وقتيه شراب bir wakyyje serab, seu, ut vulgò بر اوقده bir oka serab, una libra, seu mensura, unum poculum vini. Ein Achtering / oder Maß Wein; etsi juxta regulas superiores debebat شراب serab præponi in genitivo. Sic ليكي ليكي iki oka et, duæ libræ carnis, zwey Pfund Fleisch (sed اوقده oka, seu وقتيه wakyyje, continet 400. drachmas, & facit duas libras & quadrantem ponderis Viennensis) Sic بر ياره اتمك bir pare etmek, unum frustum panis; ein Stück Brod / & ita in omnibus, dum adest numerus, ut بش اندازه چوقده bes endaze cioka, seu, ut vul. cioba, quinque ulnæ panni, دورت قدح شراب dort kadah serab, quatuor scyphi vini. Aliàs, cum non adest ullus numerus, tunc servandus ordo supradictus, dicendumque, v.g. شرابك اوقده سي شرابك اوقده سي serabün-okasi on dort akcinja sätylür. Meniura vini constat, aut venditur 14. alpris. Ein Maß Wein gilt 14. Asperlein. La misura di vino à quattro dici quarantani. Sic بر غروشه در چوقده نك اندازه سي بر غروشه در چوقده نك اندازه سي ciokanün-endaze si bir gbrose dür. Ulna panni thalero constat. Die Ehlen Tuch kostet einen Thaler. Il braccio di panno costa un tallaro.

¶ Non habent Arabes Pronomina possessiva separata, sed possessionem exprimunt per Affixa Nomini adjecta, suntque ea ipsa, quæ in primo capite retulimus, præterquam primæ personæ, quod est perpetuò in ي, non verò in ني. Et hoc unico exemplo percipies, per omnes personas ducto, عبدي abdi, servus meus, sive mas loquatur, sive fœmina. Plur. عبدنا abdüna, servus noster; عبدك abdük, servus tuus viri, عبدك abdük, servus tuus mulieris. Dual. عبدكُم abdüküm, servus vestrum duorum, vel duarum. Pl. عبدكُم abdüküm, servus vester, sive ad viros loquaris, sive ad fœminas; عبده abdühü, servus ejus viri, عبدها abdühä, servus ejus fœminæ. Dual. عبدهُم abdühüm, servus eorum duorum, vel earum duarum. Pl. عبدهُم abdühüm, servus eorum, و earum plurium.

Notandum, quòd Affixum primæ personæ ي suscipit - fetham, quando præcedens litera nequit habere motionem, ut in Duali dicitur عبداي abdüaje, duo servi mei, و in obliq. عبدتي abdeje, duorum servorum meorum, duobus, duos servos meos. Similiter in Plurali sano masculino unum ي formativum obliq. Pluralis immittitur in alterum ي Affixi primæ personæ, و similiter in casu recto, quia و signum casus recti convertitur in ي, quando suscipit Affixum primæ personæ. Sic tam ا مسلمين muslimine, fidelium, quam ا مسلمان muslimüne, fideles, fiet مسلمانتي muslimije, fideles mei, fidelium meorum, fidelibus meis, fideles meos. Sic obrationes dictas ا خطايا chatäjä, peccata, fit خطاياي chatäjäje, peccata mea, ab عصا asen, baculus, عصاي asäje, baculus meus, ا رام رamin, sagittarius, رامتي ramije, sagittarius meus, quia رام رamin est pro رام ramiün: Dicitur tamen اباي abäi, patres mei, احيائي ahybbäi, amici mei.

Revoca etiam in memoriam quod supra diximus, quòd cum immediatè præcedit - kes-

ra, aut ع vocali destitutum, mutari \rightarrow *Zemnam Affixorum tertie personæ in* *keřam*, ut *عبدہ* *âbdihî*, servi, vel servo ejus, *عبدہما* *âbdihimâ*, servi, vel servo eorum, vel earum duarum, *عبدہم* *âbdihim*, servi, vel servo eorum plurium, *عبدہن* *âbdihinne*, servi, vo earum plurium. Sic cum particulis *فیدہ* *fihî*, in eo, *الیہ* *ilejhi*, ad eum, *علیہ* *âlejhi*, super eo; cum Affixo autem primæ personæ dicitur *الی* *ilejje*, ad me, *علی* *âlejje*, versus $\&$ contra me, propter rationes supradictas. Aliàs dicitur *لی* *li*, mihi, propter me.

Persis pariter nulla sunt Pronomina possessiva separata, sed vel ipsa primitiva postponunt nomini rei possessæ, constructione substantivi cum substantivo, ut *پدرمن* *pederî men*, pater meus, *مادر تو* *mâderî tû*, mater tua, *پسر او* *püserî o*, filius, puerulus ejus, *پدر ما* *pederî mâ*, pater noster, *پدر شما* *pederî şumâ*, pater vester, *پدر ایشان* *pederî işân*, pater illorum, $\&$ in Pl. *پسران من* *püserânî men*, filii, pueruli mei, *پسران تو* *püserânî tû*, pueruli tui, &c. Sic pro reciproco in omnibus personis postponunt tantum *خود* *chod*, ipse, ut *پسر خود* *püserî chod*, filius meus, tuus, suus, noster, vester, suus de pluribus, mein eigener Sohn / meus ipsius filius, &c. In quo eodem sensu usurpatur etiam *خویش* *chjş*, ipse, &c. Vel utuntur Affixis pro prima nempe persona *م* *em*, ut *پدرم* *pederem*, pater meus, pro secunda *ت* *et*, ut *پدرت* *pederet*, pater tuus, pro tertia *ش* *es*, ut *پدرش* *pederes*, pater ejus, *شاگردانش* *şâgirdânes*, discipuli ejus.

~~~~~

## GRAMMATICÆ TURCICÆ

### P A R S Q U A R T A

#### De Verbo.

**P**RO themate, seu radice Verbi statuemus Infinitivum, licet Imperativus constet omnium paucissimis literis, adeoque possint ab illo facilius formari tempora, &c. Sed malumus in hoc imitari Latinos, aut certè de radice non disputare. Quod enim Nostrates ponunt pro themate Arabicorum, nempe tertiam præteriti personam singularem, Arabes ipsi ac Turcæ tam in Lexicis, quàm Grammaticis ponunt Infinitivum, seu nomen verbale actionis, quod vocant *مصدر* *mestâr*, q. scaturiginem, unde oriuntur tempora Verbi, sicque dividunt capita conjugationum derivatarum, ac dicunt, v. g. *باب تعجيل* *bâbi tef-jîl*, *باب مفاعله* *bâbi müfâ-âle*, pro secunda & tertia conjugatione. Non nego tamen commodius poni pro radice Arabicorum dictam tertiam præteriti, nec ipse à methodo nostrorum in Arabicis discedam, sed Turcica ad normam Latinorum tractemus.

In Verbo considerari solent, genus, species, figura, modus, tempus, persona, numerus, & conjugatio.

## C A P U T P R I M U M

### De genere, specie $\&$ figura Verborum.

**V**erborum genera sunt apud Turcas Activum & Passivum; Neutrum enim significatione, & Neutro-passivum formâ nihil differunt ab Activis, formantque ex se pariter Passiva saltem in tertiis personis, ut in Latinis nonnunquam contingit. Sed ab uno Activo aut Neutro fiunt alia Activa secunda, seu transitiva in secundum, ut à *سومك* *sewmek*, amare, fit *سودر مک* *sewdürmek*, facere amare, i. e. facere, ut quis amet, quod etiam suum habet passivum, uti omnia alia Verba. Rursus fiunt Verba quædam cooperativa, seu mutuæ ac reciproçæ actionis, quæ aliàs sæpe voco *Reciprocata*, ut ab eodem *سومك* *sewmek*, amare, fit *سوشمك* *sewîsmek*, amare se mutuò, seu reciprocè, unum alterum. Item alia etiam quodammodo reciproca, sed quorum actio personam agentis non egreditur, ut ab *اوگك* *ögmek*, laudare, fit *اوگنمك* *ögünmek*, laudare se, vel semet-